

14

intemperie nullus aditus fuit. Maximū omnium flumen, cum per varias pluresq; feratur regiones, magnos flexus facit, quandoq; ad orientē & Arabiam, quandoq; ad occidentē & Libyam fluens. Eius decursus ab Aethiopiae montibus usq; ad mare, stadia duodecim fermē milia cum eius flexibus complectitur. Facit autem insulas in Aethiopia cùm plures alias, tum maxime unam insignem, nomine Meroen: ubi duorū & uiginti stadiorū latitudinem haberet. Ab inferioribus uero locis arctior est, cursu eius in duas partes diuiso. Harū unam, quæ in Libyam defluit, uaste profundaq; absorbent arenæ. Quæ contraria in Arabiam fert, in paludes ac stagna ingentia, quæ circum variae inhabitant gentes, flectitur. Aegyptum ingressus, tum decem stadiorum, tum pauciorum latitudine, nō recto cursu varios flexus agit, nunc orientem, nunc occidentem uersus, quandoq; in meridiem contrario delatus cursu. Sunt montes ab utraq; fluuij parte protensi, conuallibus & angustis præcipitijs interieritis: in quæ magno impetu lapsus, rursus tanquam uir repulsus per campos funditur, ad meridiem spectans, usq; ad locum Efficanum nomine: & naturalem deinceps repeat cursum. Tam insignis fluuius, solus omnium absq; fluctibus quietus est & tranquillus, præterquam cum fertur inter cataractas, locus est latitudine stadiorum decem, acclivis, præcepis in angustum, clausus inter convalles: ubi frequentia saxa, scopolis similiq; aquam magna uertigine mirabilēq; allisam reflectunt, inq; contrarium cursum spumis agunt redundantibus. Quæ res stuporem apicentibus præbet. Est enim ita uelox hoc in loco aquæ decursus, ut sagitta similis ui deatur, cum augetur aquarum incremento Nilus: ideoq; leniore cursu aqua supereminenti scopulis, quidam per cataractas navibus uento contrarij descendunt: ascendendi nulla est facultas, ui fluminis omne hominum ingenium superante. Cataractæ plures sunt, sed maxima in Aethiopia atq; Aegypti finibus sita. Complectitur fluuius insulas plurimas, sed præcipuum Meroen, in qua est urbs insignis insula nomine, quam Cambyses condidit, à matre eius denominata. Huius insulæ forma scuti persimilis, magnitudine superat ceteras Nili insulas. Patet enim longitudine stadijs tribus milibus, latitudine mille. Ciuitates in ea sunt plures, sed ceteris nobilior Meroe, à cuius uno latere Libyam uersus plurimi arenæ cumuli, ab altero ad Arabiam posito præcipitia montis insulam cingunt. Effodiuntur in ea aurum, argentum, æs, ferrum. Hebenum insuper fert, lapidumq; multiplex genus. Tot autem Nilus insulas continet, ut ferme sit incredibile. Nam præter eum locum quem à forma loci appellant Deltam, fertur alias quoq; in eo insulas círciter septingentas esse: harum quasdam ab Aethiopibus incoli, miliumq; in eis serit. Quasdam serpentibus ac cynocephalis, varijscq; feris sylvestribus in festas, ac propterea accessu difficilem. Nilus in Aegypto in plures scissus partes, eam formam quam Deltam dicunt, efficit. Profundiorem fluuium reddit maris ingressus, septem ostijs in pelagus delatum. Horum primum ad orientem uergit, quod Pelusiacum uocant: secundum Taniticū, deinde Mendescum uocant, Phatinicum, Sebenniticum, Bolbitinum: ultimum Canopicū, à nonnullis Herculeum nominatum. Sunt & alia ostia manufacta minime prætereunda. In eorum qualibet urbs sita est diuisa flumine, pontibus ab utraq; parte exitus & custodijs munita. Ab ostio Pelusiano fossa est opere sumptuoso ad Arabicum sinum ac rubrum mare ducta. Hanc primum à Nechao Sammaty chis filio agi coepit, Darius Persarum rex perficere aggressus, imperficiam reliquit: admonitus à quibusdam, si locus interiacens effoderetur, fore uti Aegyptus omnis, cum mari rubro esset depressior, ab aquis mergeretur. Secundus postmodū Ptolemaeus illam perfecit, opportuniore loco fossam summa arte efficiens. Hanc cum nauigare cuperet, aperiebat: eam rursus cum usus esset, claudens. Flumen quod in fossam defluit, à nomine authoris Ptolemaeū uocat. In exitu ciuitas cōdita est, Arsinoe appellata. Ea quam Deltā diximus, similis Sicilia